


André, Jean-Baptiste - candidat /
Botentuit Langlois, Pierre-Mathurin -
président. - An post luxationem pedis
fractura et vulnere complicatam
amputatio sit semper celebranda ?

1783.

*Paris : Typis Michaelis Lambert,
Regii Chirurgiae Collegii
necnon Academiae Typographi,
viâ Cithareâ,*

Cote : ms 2345, n°18



A N
 POST LUXATIONEM PEDIS
 FRACTURA ET VULNERE COMPLICATAM
 AMPUTATIO SIT SEMPER CELEBRANDA?

T H E S E S
 ANATOMICO-CHIRURGICÆ,

*QUAS, Deo juvante, & Preside M. PETRO-MATHURINO
 BOTENTUIT LANGLOIS, Artium & Chirurgia Magistro,
 antiquo in Scholis Præclicis Professore, Scholarum Moderatore
 designato, tueri conabitur JOANNES-BAPTISTA ANDRÉ,
 Tullanus, Artium liberalium Magister, nuper Chirurgia in
 Nosocomio Regio Militari Bisuntino Alumnus, Theseos Auctor.*

*Die Sabbati 17 mensis Maii, anno R. S. H. 1783,
 à sesqui-secundâ post meridiem ad septimam.*

P A R I S I I S,
 IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS,
 PRO ACTU PUBLICO
 E T
 MAGISTERII LAUREA:



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ
 Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Cithareâ.

M. DCC. LXXXIII.


A N

POST LUXATIONEM PEDIS
FRACTURA ET VULNERE COMPLICATAM
AMPUTATIO SIT SEMPER CELEBRANDA;
T H E S I S
ANATOMICO-CHIRURGICA.

Quas, Deo juvante, S. Petrus M. Petro-Mathurino
Botanico, Artium & Chirurgiae Magistro,
in Schola Publica Professor, Scholasticus Moderator
disputatio, sacri consilij JOHANNES-BAPTISTA ANDRÉ,
Lecturæ, Artium Liberales Magister, super Chirurgia in
Josepho Regio Militari-Hydruntino Alumno, Theodor. Kellner
Dissertatio et mensura hinc, anno R. S. R. 1785,
a Josepho Kellner per Martinum ad scripturam.

P A R I S I S,

IN REGIS CHIRURGICORUM SCHOLIS
PRO ACTU PUBLICO
ET
MAGISTERII LAUREAE.



Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiae
Collegij necnon Academiae Typographi, vii. Civitatis.

M. D. C. C. L. X. X. I. I.



D. O. M.

*AN post luxationem Pedis fracturá & vulnere
complicatam, amputatio sit semper celebranda?*

T H E S E S
ANATOMICO-CHIRURGICÆ.

CUM frequenter accidat ut in gravibus articularum morbis ad amputationem citò citiùs confugiendum sit, & eò magis crescat imminens ægro periculum, quò diutiùs procrastinatur, tum etiam occurrunt casus non admodum rari, quibus omnis in cunctatione ponitur salus, quibusque deindè lapsu temporis non vita tantùm, sed & ipsa partium corporis integritas conservatur.

A 2

Quod quidem dubium fortasse videretur in maximis illis læsionibus quæ à vulneribus sclopetariis aut tormentis bellicis nascuntur, quia tunc carnes & ossa contusa, attrita, ac veluti comminuta fuerunt, aut ita ictûs impetu percussa, ut interrupto fluidorum motu, solidis suâ mole fatiscentibus, ipsa vis vitæ languescat & emoriatur. Ubi verò lapsu, gravi quidem, sed à solo corporis pòndere aut aliâ leviori causâ oriundo læditur articulus, non ità de ægri salute desperandum: talem esse putamus Luxationem Pedis quam vulnus & fractura comitantur.

Seu lapsu ex alto, seu vestigio fallente, omne corporis pondus pedum alteruter sustineat, & eodem momento extûs inflectatur, tùm fieri poterit ut fractâ impetu fibulâ, puncto tantùm astragalo innitens tibia, hunc deferat, elabatur, luxetur, & sive fracto, sive illæso malleolo interno, disruptâ sapiùs cute intûs promineat. De hâc funestâ clade disceptaturis, fibulæ tibixque cum astragalo connexiones, integri articuli motus, ejusdem vitiati distorsionem paucis exponere liceat.

Ginglymum angularem constituit cruris cum pede articulus; solosque permittit flexionis & extensionis motus, qui licet liberimè in statu naturali exercentur, tamen ita ossium sibi respondentium consensu & validissimâ ligamentorum compagine coercentur, ut illæsis partibus nunquam variari possint. Nequè profectò hîc obscurè patet benè provida sapientis naturæ industria; nam cum in hoc articulo maxima firmitas cum aliquâ flexibilitate desideraretur, hoc utrumque ex ipsâ partium dispositione exsurgit.

Internus externusque malleolus astragalum fortiter amplectuntur, & hinc indè divaricationem refrænant, ligamentaque, non ossa tantùm inter se suâ vi retinent confirmantque, sed pedis etiam distorsioni suâ elasticitate firmiter obstant, sicque servatâ mobilitate articuli, præcautum fuit ne pede intûs aut extûs propulso, alterutrius malleoli fractura aut pedis luxatio consequeretur. Ut autem hoc utroque beneficio fruatur articulus, illasâ

partium integritate opus est; nam fractis aut malleolo interno, aut inferiori fibulæ parte, vel elongatis ruptisque ligaminibus, jam turbatur partium consensus, gravissimaque exindè nasci possunt accidentia: neque hic omittendum quantum ad articuli robur conferat fibula, nam licet præ tibiâ tenuis debilisque videatur, tamen ità ab eo osse pendet articuli firmitas, ut eo fracto vel ab incessu omninò prohibeatur, vel si incedere voluerit, in *dislocationis* periculum æger incurrat. Ut autem id indè consequatur, necesse est rumpi fibulam prope malleolum, quia tùm labefactatur articuli connexio; nam si altiùs frangeretur, pars inferior ligamenti in suâ sede retenta, suum juncturæ servaret robur. Ex illâ igitur fracturâ Pes hinc fulcimento caret extusque propellitur, tibia nec astragalo directè respondet, nec omni facie articulari innititur.

Longus mediusque peronæus qui, integris partibus, per canaliculum pone malleolum externum leviter excavatum transeunt, nutante eodem malleolo, directionem actionemque mutant, pedem extùs abripiunt, plantamque contorquent. Tibialis posterior, flexorque longus digitorum è sinuositate malleolo interno impressâ profiliunt, pedemque magis minùsve distrahunt, prout intùs magis minùsve tibia prominat: flexor longus pollicis ad hanc etiam distorsionem plurimùm confert, dum gemellorum & solearis contractione obvertitur fursùmque attollitur calcaneum.

Ex his Anatomicis annotationibus facilè videtur quàm periculosa sit ea luxatio in quâ, hinc frangitur fibula, indè per cutis vulnus tibia propellitur: nulla forsan præsentius intentat promptissimæ discrimen mortis. Omnia articuli ligamenta seu disrupta fuerunt, seu mirum in modum distracta, tendines partim lacerati, partim è suâ sede dimoti sunt, apertâ capsulâ articulari effluxit synovia, denudantur ossa, contunduntur articuli glandulæ, minitantur hæmorrhagia seu interna, seu externa, inflammatio, intumescentiæ graves, abcessus, fistulæ, grangræna,

sphacele, convulsio, ipsa mors, sævi morbi sævior exitus.

Non igitur sine aliquâ ratione plurimi auctores tùm præsentis periculi, tùm futurorum accidentium metu exterriti, statim amputationem celebrandam esse pronuntiaverunt. Si veterum hâc de re libros evolvamus, si eorum hâc de luxationis specie placita scrutari juvet, aut rem alto silentio pressam tenuisse, aut de ægri salute prorsùs desperasse videbuntur. Ac primò quidem *Hippocrates* non reponendum pedem luxatum arbitratur. *Nosse oportet*, inquit, *eos quibus ista reposita, paucis diebus permansuros, . . . quod si neque reposita, neque ab initio tentata fuerint, eorum plerique supersunt* (1). Ulteriùs etiam progreditur *Scultetus*, laudatâ enim eâdem sententiâ, addit: *Si offe refectuto superveniat convulsio, statim articulus iterùm luxandus est* (2). *Celeberr. Petit*, nullum ex tali morbo salvum se vidisse asserit, & ad amputationem tanquam ad unicam salutis anchoram confugiendum, aut saltem viginti quatuor non ampliùs horas procrastinandum suadet, nisi faventibus rerum circumstantiis aliqua spes ægro affulgeat (3). In alio tamen opere (4) amputationem minùs imperiosè jubet; immò etiam observationem refert ægri qui à tali luxatione convaleuit, & ex aliis quibus crux rescissum fuit, plerosque occubuisse fatetur; undè primò reducendam luxationem & deindè, pro accidentium gravitate, aut vitæ aut cruri consulendum concludit, ac proindè videtur *Celeberr. Virum*, opinionem quæ maximè invaluerat primùm amplexum fuisse, sedpostea, propriâ edoctum experienciâ, paulatim à Medicinæ Principis sententiâ deflexisse: quæ quidem cùm nobis minùs probetur, contrariam hoc programme firmiter stabilire conabimur.

(1) Hipp. de articulis Sect. VI, p. 100, edit Foes.

(2) Sculteti, Armament. Chirurgic. T. 1, p. 164 & 165.

(3) *Traité des maladies des os*, T. 1, p. 337.

(4) *Œuvres posthumes*, T. III, p. 311.

Crudelem fanè necessitatem cùm, ut ægri vitæ consulatur, membrum est à corpore ablegandum! Huic tamen obtemperandum est quoties alia curatio in ejus perniciem verteretur, majoremque salutis spem præterdit amputatio: sed ad hanc operationem nunquam se accinget Chirurgus quin certis rationum momentis constet nunquam aliâ inîtà viâ ægrum servari posse incolumem; nec fatis est ut sagaci ingenio, sano judicio, artisque præceptis innitatur, longo illi opus est usu, & emeritæ, ut ità dicam, praxeos experientiâ, ut adamussim æstimentur hinc morbi gravitas, hinc vis naturæ, & exindè prævideatur utra alterâ vinci possit. Quod ut certius fiat, quasdam generales regulas, ex oculatâ observatorum praxi desumptas, quæ, ubi de amputatione agitur, semper ob oculos obversari debent, revocare liceat.

1. Quoties nil magis sperandum abscisso quàm servato membro, non est amputandum; ipsa enim amputatio novus haberi potest morbus, & in novum discrimen sine aliquâ gravioris momenti ratione æger non est adducendus.

2. Quamdiù sine periculo procrastinari potest, eam tantùm ob rationem cunctandum est, nam temporis prætereundi lapsus res ita in melius vergere poterunt, ut mitior eligatur curandæ modus.

3. Anceps Chirurgus an extremitas sit à corpore separanda, non tantùm quid ex operatione metuat, quid speret diù cogitabit, sed habebit etiam rationem tùm doloris perferendi, tùm detracti membri quo æger orbatur.

4. Quantacumque prævideri possint imminetia symptomata, numquam futuri & incerti periculi metu in præsens certumque periculum incurrendum est.

5. Non maximas semper operationes maxima requirunt accidentia.

6. Primis temporibus celebrata amputatio rarè succedit; quæ diutiùs procrastinatur, felicem plerumque exitum habet.

Hæc si attentè perpensa fuissent axiomata , non tam leviter , casu supposito , pronuntiata fuisset amputandi necessitas. Enim verò magno quidem in periculo versari ægrum fatemur , sed minuetur-ne amputato primis momentis membro ? Nonne contrà in pejus ruet misera ejus conditio ? Maxima adest inflammatio , crus mirum in modum tumet , irritantur nervi , ruptis vel distensis tendinibus & ligamentis urget aut minatur convulsio , acuta febris , acerrimus dolor ægrum torquent ; num igitur hæc amputationi favere dicentur ? Nonne potiùs hæc omnia post operationem ingravescent symptomata ? Nonne dolor incisionis irritationem augebit ? Nonne febris ad suppurationem conciliandam necessaria primariam febrem exasperabit ? Nonne ipsa suppuratoria inflammatio jam urentem inflammationem accendet , tumefactionem latius proferet ? &c. Expectandum igitur usque dum fibrarum ἐπιβρωσις , fluidorum ὀργασμὸς , omnis demùm in œkonomiâ corporis concitata perturbatio paulatim subsederit. Insuper quamdiù ad cruris conservationem natura tendit , immò etiam usquedum ad ejus ablegationem laborare videatur , ab operatione abstinendum est. At certè primis morbi de quo agitur momentis nondum partis *divortium* præparat ; ergo naturæ vim inferret quisquis tunc membrum rescinderet. Facile autem , quam ineat viam , dijudicari potest , si ægri constitutio , partium mutilatio , fluidorum status , progressus accidentium attentè perpendantur.

Cùm jam , ut nobis quidem videtur , id consecuti fuerimus ut certè constet amputationem primis temporibus non esse celebrandam , jam videndum an sit deinde semper necessaria.

Certè quidem quod proponimus præceptum non eâ mente damus ut sit lex generalis : paucis enim duntaxat exemplis confirmatur quæ si cum aliis conferantur casibus rara artis videri possunt ; id tantùm volumus ut arceatur opinio quæ nimium fortasse invaluit , nempe casu proposito semper ad amputationem esse deveniendum. Et illa quidem adhuc meritò foret amplectenda,

plectenda, si cunctationem certissimè & quasi *ineluctabiliter* sequerentur gravissima quæ prævideri possunt accidentia, quæque ab amputationis fautoribus non pauca numerantur, ut magni abcessus usque & usque hinc & inde repullulantes, magnæque adeò quotidie incisiones celebrandæ, hinc puris effusiones latius latiusque tacito grassantes lapsu quibus muscoli ferè omnes veluti Scalpello Anatomico quasi profecantur, ossium denudatorum caries aut extrà prominentium dein forsan necessaria resectio, totius cruris sphacele & inde puris in sanguinem resorbio, lenta febris, proluvies alvi *colliquativa*, prostratio virium ex suppuratione diuturniori, fistulæ per totum ævum vitæ permansuræ, dolores intolerandi, incedendi impotentia, talis demùm status, ut æger horridum secum trahat membrum quod plus mali afferat quam boni, quodque acri tantùm doloris sensu existere percipiat.

Quantoscunque timores incutere debeat hæc infanda malorum cohors, nondum etiam eorum metu nostram abjiciemus cunctationem, cum ex illis plurima, amputatione celebratâ, pariter immineant, alia verò aut sedulâ medicatione curari, aut nunquam evenire possint, aut etiam, si accidant, cum jacturâ cruris nequeant conferri: & si semper idem hinc & inde periculum minitetur, ea est ineunda via quâ suo æger crure non orberur, & sin liberè, saltem quoquo modo pedi possit insistere. Quod quidem si adductis hùc usque rationum momentis nondum constet, quasdam ex plurimis selectas observationes breviter exponemus quibus nostra invictè confirmabitur opinio.

Homo quadragenarius ex alto delapsus in terram passus est *dislocationem* in talo interiori cruris, conjunctam cum vulnere vasto extra quod os tibiæ tres digitos transversos longum prominerebat. Osse in suam sedem restituto, vulnus ex artis præceptis deligatur, bis de die ob copiam puris instituitur curatio; intereà febris, delirium, dolor atrox, pes identidem distorquetur & reponitur, abcessus duo aperiuntur sananturque; trium septima-

B

narum spatio subsidunt accidentia, sed carnes fungosæ exuberant, fragmenta Tibiæ separantur, ac tandem circa sextum mensem ferè totum vulnus contegebat cicatrix, & scipionum ope æger incedebat (1).

Manca videri possit hæc observatio, 1°. quod auctor de fibulæ statu nihil dixerit, sed ex ipsâ morbi expositione quin fracta fuerit ægrè admodum dubitatur. 2°. Quod de anchylosi consecutivâ pariter tacuerit, hoc verò malum itidem adfuisse suspicamur cum ferè in omnibus aliis vitari non potuerit. 3°. Quod de fistulæ remanentis eventu certiores nos non faciat, sed per totam vitam aut saltem diutissimè remansisse innuit, cum adiciat nondum omni ex parte coaluisse, duosque in rei fidem adducat ægros qui per aliquot annos post tali *dislocationem* ulcere laboraverunt. Porro autem hæc duo, gravia accidentia non judicanda sunt, neque selectæ methodo curandi vitio vertenda, cum hæc tantùm viâ aliquandò servari potuerit æger, pedi non minùs firmiter insistat, nec fistulam plerùmque molestiùs ferat quàm fonticulum.

Homo quidam, cum in eo esset ut doli pleni lapsu opprimeretur, crus ad illud sustinendum protulit, sed pondere victus, fibulæ fracturam, pedisque *dislocationem* passus est, ita ut tibia per cutis vulnus intùs prominere, plantaque extùs prope malleolum externum quasi replicaretur. Reductis ossibus, fracturæque & vulnere, uti par erat, deligatis, dolori supervenienti præcautum fuit, sed nihilominus tres abcessus successivè aborti ad octavum mensem perfectam curationem retardârunt. Dein æger liberè (astragalo tamen cum cruris ossibus per anchylosin confervente) incessit (2).

Ex viginti cubitis in pedes cecidit mulier. Fractâ fibulâ, tibia

(1) Vid. J. Muys, *Prac. Medic. Chirurgic. Decad. V. Obs. VI*, pag. 220.

(2) Vid. *Traité complet de Chirurgie, par M. de la Motte. T. II. Obs. 410, p. 682.*

astragalum deseruit, cutem internè perforavit, & tres digitos tranſverſos in terram ſe demerſit. Reductis oſſibus, & ægrâ domum reductâ, jam de amputatione cogitabatur, ſed nullo ſuperveniente gravi ſymptomate, ſanâque mulieris temperie perpensâ, procrastinatum eſt. Octavo decimo die circumſcriptâ gangrênâ crus corripitur verſus fibulæ fracturam; ſcarificationibus topicisque indicatis facilè cedit, magnæ fiunt tum peronæi tum extremæ tibiæ exfoliationes; ægra perfectè ſanitatem recuperavit, leucamque integram ſine ſcipione incedebat. Nihil de articuli motu dicitur (1).

Similis obſervationis participes nos eſſe voluit ſpectatiſſimus hujus actûs Præſes. Menſe Aprili anni 1780, vir robuſti temperamenti ex abaco in dextrum pedem cecidit: fractâ inferiùs fibulâ, tibia quatuor tranſverſos digitos per vulnus tranſiit. Non ſine vi multâ oſ fuit reſpoſitum. Primaria graviffimè ſævierunt accidentia, febris, dolor acer, delirium per 11 dies, tibiæ in pure natantis iterata diſtorſio, gangræna hinc & indè graſſans, abceſſus multiplices, &c. Tandem poſt quatuor menſes ita curatus eſt, quanquam remanente fiſtulâ, ut pedi inſiſtere cæperit; hodie liberè, nulloque dolore, ſcipioni tamen per vias innitens, propter articuli anchyloſin, incedit.

Talis etiam caſûs nobis copiam fecit Celeberr. M. Louis. Dum in domo dictâ *la Salpêtrière*, Chirurgus præcipuus prima Magiſterii ſtipendia faceret, ſacrata pauperum obſequio Virginis, veſtigio fallente, pes ita luxatus fuit, ut illæſâ (quod rariffimum) fibulâ, tibia cutem perforaverit. Poſt longam difficilemque curationem ſine anchyloſi ſanata eſt; ſed contrario laborabat morbo, nam quoties terræ pedem inſigere tentabat, toties exteriùs luxabatur. Cui quidem ut præcaveret malo vir Celeberr, calceamentum excogitavit pluribus loris internè ſecundùm tibiæ decurrentibus & in ſuperiore crure inſibulatis munitum, cujus ope,

(1) Vid. id, ibid, Obſerv. 411.

firmato sine distortionis metu pede, incedebat. Omnibus sanè sagacissimum videbitur illud inventum: cùm enim rarò id accidat mali in luxationibus vulnere complicatis, quippe quas ferè semper subsequatur anchylosis, tùm præsertim in aliis nimiùm eheu! frequenter evenit.

Mense Maio anni superioris ad posterioris hujus speciei luxationem accersitus, spectatissimum actûs Præsidem in consilium vocavi. Ossa faciliè reducta, difficilè admodum in statu naturali contenta sunt: Celeberr. quidem Pott, tunc situm lateralem crurisque flexionem suadet, sed in casu simili nullam inde utilitatem percepisse asseruit advocatus Magister, dùm crure extenso aliquando curatio perfecta fuit. Hanc igitur, sed nullo successu, methodum tentavi, nam post curationem pes debilis parumque distortus remansit, sed nihil est dubii quin excogitati calceamenti ope facilior evadat incessus, cum nullâ in malleolum vi adactâ distortioni pedis fortiter obstet.

Multa etiam alia in nostræ opinionis assertionem, observata (1) possemus adducere, sed allatis hùc usque satis confirmata videtur ut meritò concludamus;

Ergò post luxationem pedis fracturâ & vulnere complicatam, amputatio non semper celebranda.

(1) Vid. *Œuvres posth. de M. Petit*, T. III, p. 131, & seq. --- *Fichet de Flechy, Observ. de Méd. & de Chir. pag. 229.* --- Casum adhuc gravio- rem in Saviard. *Observ. CXX. p. 523.* --- *Lecat, Prix de l'Acad. T. I, p. 375.* --- *Mém. de M. Faure, ibidem, T. VIII, p. 50.* Fabricium Hildanum, Cent. II. *Observ. 67.* Et alia.

F I N I S.